



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmæ Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

De vitio remissionis. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

q̄ vitium istud valde nocuum est homini: quasi enim perditum sunt cætera, quæ facta sunt, nisi finis sequatur. Parum enim prodest fundamentum & parietes fecisse, si tectum non sequatur. Parum etiam prodest per mare laborasse nauigando, si tunc nauis perierit, quando portui proxima fuerit per leucam vnã. Ideo dicitur Prou. 18. Qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis: quasi enim idem est ac si dissiparet, quia ea non perficit. Nec solum est damnosum vitium homini, sed etiam verecundum, & irrisione dignum dicitur enim. Iste homo cepit ædificare, & non potuit consummare: secundum quod legitur Luc. 14. Indecens est animal sine cauda & ridiculosum: vt patet in simia: sic opus sine consummatione. Vltimo potest valere ad detestationem huius vitij, magna vilitas quæ prouenit ex perseverantia. Tantum enim valet vitimus dies quo aliquis bene viuit, quantum omnes dies præcedentes, quantum ad hoc quod si illo die male vixisset, tota vita præcedens perditæ esset. Sola perseverantia hominem saluat. Vnde Bernar. Perseuerantia est singularis filia summi regis. Illa enim sola hæres est regni æterni.

De vitio remissionis

CAP. IX.

Vitium remissionis est non vitium pertinens ad Acediam. Hoc vitio laborat ille qui quotidie deterior efficitur. Si inchoat aliquod opus, primo die aliquantulum strenuè operatur, secundo die minus, ad vltimum nihil. De tali dicitur Eccle. 21. Filia fatua in deminoratione fiet. Filia fatua est anima sapientia non condita, quæ semper decrescendo procedit: sicut e contrario vita iusti procedit à crescendo. Vnde Prouerb. 4. Istorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Et Prou. 21. Cogitationes robusti semper in abundantia. Robustus aliquid quotidie lucratur super hostes suos, sed remissus quotidie aliquid amittit. Remissione in verò ista sequitur paupertas primo. Vnde Prouer. 10. Egestatem operatur est manus remissa: manus autem fortium, diuitias parat. Secundo sequitur remissionem istam seruitus vitiorum. Vnde Prouer. 10. Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. Sequitur etiam remissionem istam, frequens fractio propositi. Vnde Senec. Arcum frangit intentio, animum remissio.

De vitio quod potest vocari Dissolutio.

CAP. X.

Decimum vitio quod pertinet ad acediam, possumus vocare dissolutionem. Hoc vitio laborat ille qui inueniens difficultatem in sui regimine, se dimittit omninò absque gubernatione.